



Nochisingerus  
Cratis ad juv-  
enam Petavi  
Stai IV Poliniam  
et Succia regis

Gedani  
1673.





h. m. r. [Gdańsk 1648] [druck]. --

ORATIO,

AD FAMAM SEMPER PROSPERAM,  
SERENISSIMI ET POTENTISSIMI  
PRINCIPIS,

VLADISLAI IV.

POLONIÆ ET SVECIAE  
REGIS, &c.

*DVM VIVEBAT,*

DOMINI NOSTRI CLEMENTISSIMI;

ANNO CHRISTI, M. DC. XLVIII,  
DIE VII. JULII,

GEDANI,

IN SPLENDIDISSIMA ET AMPLISSIMA  
CORONA,

*A*

JOHANNE MOCHINGERO,  
DICTA.



EDITAQVE TYPIS RHETIANIS.

APVD  
NOBILISSIMOS ET AMPLISSIMOS,  
PATRIÆ CIVITATIS  
GEDANENSIS,  
MAGISTRATUS,

ALTERVM DEPOSITVM

JOHANNIS MOCHINGERI.



NOBL

167

NOBILISSIMI ET AMPLISSIMI,  
DOMINE BURGGRABIE REGIE  
DOMINI PRÆCONSULES, DOMINI CON-  
SVLES, ET DOMINI SCABINI,



U<sup>i</sup> Oratione funebri extuli, an-  
nis superioribus, SIGISMUNDUM III.  
Præfulis Mediolanensis exemplo, suorum  
Imperatorum funera dicendi officio profe-  
quentis, meo illo exemplo adductus, nunc  
item VLADISLAO IV. vinculis corpo-  
reis non ita pridem exsoluto, persolvere volui justissima sermo-  
nis iusta. Ille Pater fuit; hic Filius: Uterq; Rex & Dominus  
noster longè benignissimus, deq; nobis, subditis suis, maximè  
bene meritus. Quam verò auribus Vestris non dedignati estis,  
secundæ VLADISLAI memoriæ causâ, à me ore pronuncia-  
tam Orationem; eam, quæso, oculis etiam dignamini, præli ope  
exscriptam. Sic, singulari sanè cum propensione, bis illam ex-  
cepistis SIGISMUNDI consecratam recordationi. Atq; ita,  
quasi denuo à Vobis auditus, multùm in eo acquiescam. Sicut  
me utiq; non tam dicendi sub onere, quàm solitudinis nostræ ca-  
lamitatem mœrendi, perquam esse recreatum sensi, cum, pro Re-  
gis Dominiq; nostri meritisimâ laude, verba facientem, eumq;  
hucusq; ignotum, spectatissimæ suæ præsentis & audientis  
immerito honore affecit, CHRISTIANISSIMARVM  
MAJESTATVM REGIARVM, AD SERENIS-  
SIMVM REGEM, REGNVMQ; POLONIÆ,  
ILLVSTRISSIMVS ET EXCELLENTISSI-  
MVS DOMINVS LEGATVS, DOMINVS NI-  
COLAUS DE FLECELLES, VICECOMES à COR-  
BEIL, TIGERI ET BREGI, AB INTIMIS CHRISTIA-  
NISSIMI REGIS CONSILIIIS, GALLIÆq; STATVS  
CONSILIARIUS. Verum est: accessit ille debite invitatus,  
velut Urbis hospes plurimùm honorarius, & adfuit, præsertim  
Ejus demortui beatis manibus, pro re natâ, publicè hic affectum

testaturus, à quo in vivis degente tantâ affectus est gratiâ Re-  
gali: sed vix memini, mihi alacrius quenquam suarum aurium  
condixisse prompitudinem, atq; idem fecit, non comitate tan-  
tùm suâ, (quæ Gallicanæ genti est propria) sed & doctrinâ, illâ  
quidem Regnorum causâ negotiosis peculiari, abundè declaratâ.  
Cujus tam singularis benevolentix, quam modò nonnisi paucis  
dicere est commodum, pluribus aliquando explicandæ, alius  
quæretur locus, ab animo nostro acceptorum nunquam futuro  
immemore. Vos ego in præsens non teneo ampliùs, DOMINI  
MEI, jam sat detentos, & auditâ oratione, & lectâ hac allocu-  
tione. Illud solùm maximopere adhuc oro, ut planè pro per-  
suasissimo habeatis, me, ut Regis, Vobiscum, ita, sub Rege, Ve-  
stri, tanquam Magistratus nostri, tam observantiâ, quàm  
obsequio, nunquam non studiosissimum  
fore civem.



QUOD



168 69

QUOD PACE FIAT OMNIUM!  
REGI NON PRIDEM REBUS HUMANIS EREPTO,  
**VLADISLAVO IV.**  
BELLIS PACEQUE FELICISSIMO;  
*COMMUNI MORE,*

IUSTIS HIC PERSOLVTIS,  
EX SINGULARI MOERORE,  
ADJICIENDI ALIQUID CAUSSA;  
AD PROSPERAM DOMINI RECORDATIONEM,  
RECITABITVR,  
IN AUDITORIO ATHENÆI MAXIMO,  
DIE MARTIS PROXIMA (VII. IULII.) HORA IX.

**ORATIO:**  
AD QVAM PROPENSE AVDIENDAM,  
CHRISTIANISSIMARVM MAJESTATVM  
*REGIARVM*

DNN. LEGATOS ILLUSTRISSIMOS,  
EXTRAORDINARIVM ET ORDINARIVM,  
REGIOS URBIS NOSTRÆ HOSPITES;  
REGIÆQUE HVJVS CIVITATIS  
MAGISTRATUS AMPLISSIMOS;  
DOCTORES ECCLESIASTICOS AC SCHOLASTICOS,  
DOCTOS QUOSCUNQUE ALIOS VIROS;  
DOCTRINÆ CONSECROS ADOLESCENTES;  
NOMEN REGIVM OBSERVANTES,  
OMNES OMNES;

JOHANNES MOCHINGERUS,  
GYMNASII RHETOR,  
DEMISSE, OBSEQUIOSE ET HUMANISSIME  
INVITO;

HAC IN ANTECESSUM EMISSA ALLOCUTIONE,  
EXPRESSA,

**GEDANI,**

---

ANNO M. DC. XLVIII. Typis RHETIANIS.

LECTORIBVS OMNIBVS,  
PRO DIGNITATE ET MERITIS,  
CVM POLLICITATIONE,  
PARTIM OBSERVANTIÆ,  
PARTIM OFFICIORVM,

S. P. D.



Uod ingens in hac fugacis ævi  
brevitate spatium videtur, sedecim effluxere  
anni, cum planximus excessum SIGIS-  
MVNDI III. & applausimus electioni  
VLADISLAI IV. hujus, & illius,  
dum vitam Uterq; ageret mortalem, inter  
nos mortales, Regum, Dominorumq; nostrorum longè Cle-  
mentissimorum. Non putavi (quod hoc loco dicere, ni fallor,  
est Christiani, quemadmodum alio negatur esse sapientis) futu-  
rum, ut, à summo ætatis nostræ Arbitro, daretur superstiti mihi,  
ejus lugere fatum præproperum, cui tardum semper exoptavi,  
ex intimis animi mei visceribus. Multò scilicet verissimum esse  
comprobant infinita exempla, quod cecinere, pariter Poëta, pa-  
riter Propheta. Ille humano lumine instructus, his verbis:

*Pallida mors æquo pulsat pede pauperum tabernas,  
Regumq; turres.*

Hic divino Numine, cujus nomine ait: *Dii quidem estis, & filii Ex-  
celsi, vos Principes omnes: sed certè, ut plebejus homo, morituri estis.* Quid  
verò? Tacendumne mihi fuit, defuncto Rege, VLADISLAO?  
cui functionem Regiam capessendam, ut potui, sum gratula-  
tus, imi homo quidem subsellii, verum nulli cessurus, in sancto  
Potestates supremas colendi officio. Qui, ceu fas fuit, solem  
adoravi orientem, occidentem, ut ferè fit, adorare non de-  
bui? Quin imò nec potui me continere, tam profectò peri-  
culosam Regni Sarmatici, & Regionis nostræ Borussiacæ, or-  
bitatem exhorrescens, quàm qui maximè. Timidissimus ergo  
ego, ex omnibus? Minimè. At tantò audacior, quàm cæteri,  
ad metum nostrum divulgandum? Ne istius quidem culpæ  
reus, quæso, peragar apud animum alicujus, nondum auditus.

Au-

169

Audiri enim cupio in præsens, non discrimina Reipublicæ ex aggeraturus, quæ precibus fufis, ut quimus, cum fratribus & civibus, alio loco & tempore, avertere curæ erit; sed Regis, quem amissimus, felicitatem: cum brevissimo aliquo, at serio voto, ne contingat, Rege, tam bello, quàm pace fortunato, nostris exempto rebus, faustos nos esse desiisse. Quæ quidem, quod certò scire videor, ex sensu omnium arbitror me prolaturum: ut ea propter ad dicendum surgere voluerim alacrius, & potuerim, fateor, confidentiùs. Ex more sumus hucusq; questi variè occasum Regium: accedat, ex amore, qualecunq; hoc epiphonema, sive nenia. Conscius eorum, quæ, Civitatis luctum publicè testandi causâ, campanæ, suggesta, vestes declaratum ivere, dicet Davidi similis aliquis, credo, de nobis, quod à Rege isto, qui à sceptro plectroq; nomen non minùs sacrum, quàm clarum habet, prolatum in sacratis libris legitur, de Jabesenis civibus: *Benedicti estis Jehova, qui exercuistis benignitatem, erga Dominum vestrum, Regem. Propterea exercebit erga vos Jehova benignitatem & fidem: & ego quoque reponam vobis beneficium, qui fecistis rem hanc.* Equidem sic non nisi, quæ nostrarum fuere partium, hoc est, subditorum bonæ frugis, peregimus: sed & animum ita comparavimus nostrum ut omnia confierent, quò non hominibus tantùm videri possent probabilia, sed & Deo grata. Huc nostræ ad populum allocutiones spectarunt, nuper habitæ. Huc supplicationes tendunt, quæ etiam nunc habentur. Oratio habenda (ut, ex consuetudine, ejusdem argumentum paululùm prodamus) eò collineabit, ut, quantum Regem habuerimus, breviter ostendatur. Uno verbo jam rem conficio: Felicissimum. Utiq; verò sicut homini nemini, magno vel parvo, sic nec VLADISLAO, unquam sic se indulsit fortuna, ut eam ad nutum habuerit: at profectò in plerisq; ac potioribus Regni sui administrationibus, sine exemplo recentiori, faustus fuit. Quarum tantummodò hanc perpende summam. Nonne ipsa bella tria brevi debellavit, & tranquillitatem apud suos stabilivit admirabilem? quod Regum nullus Christianorum, hac tempestate, potuit efficere. Subjiciet quisquam fortè: ista quidem fecit VLADISLAUS. Sed effare: quo merito? Ajo verò ego, cum Tulliano Aufonio:

*Quid me oneras sciscitator?* **RATIONEM FELICITATIS NE  
MO REDDIT.** *Deus tacito munera dispertit arbitrio.* Atq; hoc tan-  
dem reliquum erat fortunato satis Regi nostro, ut diem rectè  
obiens evaderet beatus: secundùm illud Solonis, Cræso inter-  
roganti; an beatus esset? reponentis: *Tu mihi quidem vidèris, & di-  
vitiis valde pollere, & permultorum hominum Rex esse; sed id, de quo me inter-  
rogasti, nondum te esse dixero, priusquam te bene ex vitâ emigrasse audiero.*  
Quod Sulmonensis vates ad omnes trahens, in hunc sonum,  
explicuit:

*diciq; beatus,*

*Ante obitum nemo supremaq; funera debet,*

Quod igitur restabat, ut Rex excederet, & ad Coelites accede-  
ret beatus; id quoq; evenisse, pio affectu credimus. Si autem  
iterum instas percontator: quo merito? Respondeo: merito  
Domini Nostri, Jesu Christi, qui est fidus ille testis, primogenitus ex  
mortuis, ac princeps Regum terræ; qui dilexit nos, & lavit à peccatis nostris,  
per sanguinem suum. Fecitq; nos Reges, & Sacerdotes, coram Deo & Patre suo.  
Ei gloria, pro VLADISLAO, jam beato, & nobis aliquando  
beandis. In quem sensum, die, loco, horâq; in fronte assignatis,  
(venerabor & amabo) verba me facientem auditote, & imis  
sensibus reconditum servatote illud oraculum, multa paucis  
complectens: *Deum timeat. Regem honorate.* Dabam, è Museo meo,  
Anno, à Servatore nato, M. DC. XLVIII. die 3. Julij



ORATIO



nos  
men  
est C  
rum,  
ejus  
ex in  
com  
riter

Hic  
celsi,  
verò  
cui f  
tus,  
Pote  
ador  
bui?  
culof  
bitat  
ego,  
ad m  
reus,

GE  
SPL  
D  
dolet  
felic  
decre  
tam,  
nostr  
fortu  
sciat  
mo r  
aliqu  
nobis  
parte  
si ver  
nec n  
nem,  
quanc

ORATIO

CHRISTIANISSIMARVM MAJESTATVM  
REGIARVM,

ILLVSTRISSIME ET EXCELLENTISSIME

DOMINE LEGATE;

REGIÆ HUIJUS CIVITATIS

MAGISTRATUS AMPLISSIMI;

GENEROSAQUE ET NOBILISSIMA PROSAPIA,  
SPLENDORE, AVTORITATE, REVERENDA DIGNITATE,  
DOCTRINA, CLARITATE, INTEGRITATE, VARIAQUE  
ELEGANTIA INSIGNITER SPECTABILIVM  
AUDITORUM CORONA:



Uod satis constat, ex more qui-  
dem communi, Regi, Dominoq; nostro  
Clementissimo, nuper defuncto, justa justis-  
simè peregrimus: singularis tamen moero-  
ris causlà, nondum desinere possumus tan-  
tum lugendi Regnatorem. Acerrimè sanè  
dolet, sine pari, ut nunc sunt tempora, Principem, bello paceq;,  
felicissimum, esse nobis ereptum. Ex cujus morte utinam non  
decrementa accipiamus tanta; quanta percepimus, sub ejus vi-  
tam, incrementa! Velit Rex Regum immortalis aliud!

Quàm faustus fuerit in gubernando VLADISLAVS,  
nostrarum, hoc est, Regni Sarmatici & Regionis Borussiacæ,  
fortunarum emolumento longè maximo, ut nemo nostrùm ne-  
sciat; juverit tamen, solatii causlà, jam impensius paululùm ani-  
mo repetere & expendere. Juverit, inquam, solatii causlà: etsi  
aliquis miretur. Namq; sic opinor, dum usq; adeo acerbum  
nobis accidit meminisse, quòd eum habuimus Regem; idem ex  
parte erit jucundum, valdeq; honorificum certè ducemus. Quod  
si verò etiam contingat, simili, nec Regem futurum gaudere,  
nec nos fortunâ, sub præsentem absentis Regis commendatio-  
nem, mentibus nostris in antecessum bene imprimemus ali-  
quando eo sensu usurpanda verba, quo jamdudum à perpeffi-

C

tio

NE  
c tan-  
rectè  
inter-  
E di-  
e inter-  
udiero.  
num,  
ccede-  
autem  
merito  
nitus ex  
nostris,  
atre suo.  
quando  
gnatis,  
z imis  
paucis  
meo,  
RATIO

tio illo sunt prolata: *Si secunda à Deo quondam concessa æquo animo suscepimus, an iniquo feremus adversa?* Obtestabimur tamen, quoad possumus, Numen Optimum Maximum perseveranter, ut, quemadmodum pientissimi hominis opes bis tanto pensavit amissas, & loco denatorum, natos reddidit præstantiores; ita, pro abundantissimâ bonitate suâ & potentiâ, conservet bona nostra, si (cùm nos non deceat pristinâ sorte contentos majora petere, quin justum sit, prosperâ illâ privari meritos) nolit augere: ex cineribus verò Regiis, det geminum quasi Phœnicem propullulare. Ac viveret ô si Sigismundus Casimirus, VLADISLAVO acclamaremus redivivo!

Quem ego VLADISLAVUM ostendam fuisse mirificè fortunatum, æquè in bellando, ac pacando; aut, ut uno verbo complectar, regnando. Quod si gratum non erit recolere, inq; memoriam nobis revocare, non video, quid possit occurrere gratius? Nisi quod non possit non, fateor, idem esse ingratum, cogitantibus, fuisse eum quidem, non esse; cumq; eo, & sub eodem, nos exstitisse potiùs felices, quàm etiam nunc existere. At hoc utiq; ferendum, non culpandum, quod (minimè omnium culpando) mutari non potest. Quæ de Rege nostro, Dominoq;, dicta si memori mente fuerint recondita, vivet in pectoribus nostris prospera illius recordatio, imò ipse. De quo tamen neutiquam annales in præsentia condere habeo institutum: sed ad propositum nostrum facientia leviter & breviter perstringere. Illud annos poscit; huic, quod reliquum est horulæ, auribus propriæ, satis. Hoc scilicet restare visum sacrorum, Regis demortui causâ peragendorum, ut, quæ eidem faustiter, imò subditis, ceciderunt, unà cum gratiis Deo ex debendi lege actis, à quo omnis fortuna, in luce ponantur & celebrentur. Quod modò facere occupemus, tantillo impenso tempore.

Atque memor bene carcerum, quos mihi circumdedi, nihil planè evagabor: quamvis opera Regis, cùm belli, tum pacis tempore (quod, cum regno, annorum est sedecim) & numero haud pauca, & ob dignitatem valde commemorabilia, se cancellis ægerrimè includi patiantur.

Si

*Si qua sonum procul arma dedere,*  
stare loco nescivit, à teneris ungviculis, spe multum arrecta.

*Nec mora, nec requies.*

*Tantus amor belli, tanta victoria cura.*

Cui licet oriri atque procreari prosperrimè contigisset, post antegenitos sublato, quasi cum primogenituræ prærogativâ, à Sigismundo, simul Sveciæ Rege, simul Poloniæ; ut Parenti his regnis excedenti olim succederet, in illo, hereditate obtinendo, hoc virtute: is tamen, fati benignitate, ad maxima quæque & factus & destinatus, evehebatur adolescens, cum tantum haberet quinque supra decem, annos: jurantibus in VLADISLAI nomen Moschis; & Basilio suo, sicut etiam & Demetrio, nuncium mittentibus. Sic, qui fuit Rex Svecis natus, puer; vir, factus Polonis; juvenis etiam nuncupatus est Cæsar Moschis: quemadmodum, in vernaculo horum idiomate, audit Dominus Moscoviticus, voce Czar, ex illâ Cæsaris deflexâ. Sed quantum VLADISLAUS dignus erat isthoc honore novo; tantum indigna erant liberari onere servitutis antiquo ad jugum damnata mancipia. Quanquam ad libertatem insidiolè, consilio suo, quod ambiguo percoctum erat honesto, & malis artibus plenum, collineabat gens, quâ servilis, quâ versipellis. Unde omnia in ventos abiere. Quum enim deliberaretur diu à prudentissimo Sigismundo, an publicè notissimæ perfidiæ Barbaricæ committendus esset Filius Princeps? tergiversari utrinque coeptum. Post annos tamen sex exactos, ipse Princeps, annum agens unum, ultra vigesimum, non vulgari solum suffragatione, sed juramenti quoque sacrâ religione receptus Moschorum Dux, indole magis ac magis se exserente, curasq; animosq; viriles, ætatem ante, præ se ferente, cum eadem Comitibus Generalibus, hoc est, Regi & Proceribus, voluntas esset, de apparando contra dolosos Moschovitas bello, ad arma se accinxit, his viam peragraturus ad Principatum sibi delatum, fata quam monstraverant. Primum id fuit VLADISLAI tirocinium, quod egregiè profectò prælusit secutis periculis, quæ ei fuere pari alacritate adita, quâ hoc, & brevi superata; pace, quæ bellorum est colophon metaq; laudatissima, eidem semper semperq; se quasi

ad nutum dante. Næ verò illi infelices & miserandi Dynastæ, qui, Martis campum ingressi, quasi in labyrintho hærent, cujus exitum invenire nequeunt, id est, bellum debellare. Quales utique multos, non ex librorum solum, sed & ipsâ nostrâ memoriâ, enumerare haud operosum esset. Ariadnæi verò instar fili fuit Principi Nostro, propria VLADISLAI felicitas; quæ parùm cessit fortunæ Cæsaris, suam ita magnificè ebuccinantis: Veni, vidi, vici. Namque eodem pacto Cæsar hic Moschicus, pactione cum adversariis factâ, reversus ad Patrem, qui eum difficulter dimiserat, ac multis lacrymis abeuntem perfuderat, quasi, arreptis Moscoviæ gubernaculis, iterum visurus esset nunquam, dicere potuisset: Adii, redii, pacavi. Cui jure responsum fuisset, sicut Cornelio Syllæ, ob successus felici dicto, mulier quædam fatidica, tunc semel visa & audita, nec unquam ampliùs: Salve, ait, Princeps Juventutis, tibi & Regno felix, Cæsar, nobilissime Cæsar.

Cujus etiam secundum, vereq; secundum, experimentum militare, jam dicto priori per est multùm simile. Cùm numeraretur annus, vulgati calculi, à Christo Domino in lucem edito, unus & vigesimus, præsentis septimæ hecatontadis, supra chiliadem, maximâ manu, at multò etiam majori animo, qui, negotiorum quorundam gratis eventibus, erectus erat, vel potius inflatus, admovit se Turca Poloniæ, non ab hoste tantùm pro perditâ habitæ, verùm ab amicis etiam, Christianarum nationum Principibus: cui uti in occursum missa erat probata virtus Chodkievicii, qui exercitum triginta quinq; millia armatorum completentem, cum summâ potestate Ductoris, habebat; ita ad hunc, arcem Chocim tenentem, accurrit, concitatissimo cursu, & pectore, VLADISLAUS, Patriæ, imò Christianitati universæ, cujus contra Osmanidarum tela alter quasi clypeus est Polonia, cum sedecim millibus militum exquisitorum, succenturiaturus: à quo felicitatem suam castris inferente, præsentissimum, ut exitus paullò post ostendit, allatum est auxilium. Aderat ipse quoq; ex adverfo Osmanus, Imperator, tantâ equitum & decantatissimorum illorum Janizerorum cum vi, quantâ Dominum Turcicum



cicum cingi in bello constat, ac solitá superiori. Nempe cum leone hoc Nemæo, & Lernæâ istâ hydrâ, juveni nostro Herculi congregiendum erat, ut, quis ac quantus esset, plus plusq; intelligeret Orbis. Varius autem fuit Mars, pariter Turcicus, pariter Polonicus: sed demum secutus est quoq; occasus supremi Christianarum copiarum Præfecti, Chodkievicii, insperatus, non quidem humanâ, sed divinâ, dextrâ superati, cui succumbere non debent non omnes; utpote morbo & morte suâ fracti. Cui Lubomirscius successit. Sed jam Turcis, jam Polonis aleam prælii diversam subeuntibus, bellum continuavit. Memorandum illo tempore excidit verbum Turcarum Monarchæ, minimè hic quoq; tacendum. Cùm is ad Cameneciam, quam arcem saxa firmant(unde ei nomen,)appropinquasset, eâ, si posset, potiundi causâ, audivissetq; esse valde munitam: quis munivit eam? ait Cui responsum; à Deo esse positam tutò, lociq; naturâ armatam. Adhæc igitur Osmannus: itaq; Deus illam ipse expugnet. Sicq; aliò se contulit. Idem verò animadvertens, Deum caltris Polonicis adesse; quemadmodum ipse quoq; Sigismundus turmis & turbis interesse volebat; Numini cedens homo, per suos, hoc egit, ut ad pacem descenderetur, quæ, secundum formulam Bussensem, est constituta. Ita VLADISLAUS Princeps, cum Patre Rege, denuo pacis lauream domum retulit. Cujus præsentia Principis quantum effecerit, inde evasit clarum, quòd plurimi militum, cum primis Litanorum, ac Zaporoviani Cosaci, à Lubomirscio, Prætoriam dignitatem adepti, descivissent; nisi eos VLADISLAI autoritas retinisset in statione & officio.

Sed hæc Principis præludia fuere: quibus eam existimationem acquisivit, ut, suo tempore, laudatus Primoribus Regni, cùm Parens Sigismundus ad Regni cælestis possessionem esset evocatus, ab omnibus agnosceretur dignus, cui liberè suffragia militarent in Regem eligendo, sicut ipse sponte militavit Regno conservando, contra Moschorum, Turcarumq; infandos quidem ausus, at nunc dictos, ut VLADISLAI diceretur felicitas. Quæ cum ipso crescente crevit incredibiliter, ut novimus benè, refri-

cantes nobis memoriam gestorum, à VLADISLAO, jam Suecorum, ex successionis naturalis lege, & electionis jure gentilis, Polonorum, Rege existente. Quem enim fugit facile, quòd non ita ante multos annos contigit, nec ideo ex scriptis ad memoriam monumentis est petendum, sed ex sermone nostrum omnium quotidiano, quàm prosperè belli Suecici flammam, & Livoniam totam depascentes, & Borussiam nostram acriter torrentes, ibi quidem exstinxerit, hic sopiverit? Cessit illam hostibus; hostes ex hac (quod nunquam putabamus, nedum credere poteramus,) recessere. Sic cedendo vicit, & magnum terminavit bellum: publicam famam eam belligerandi rationem collaudante, quæ finem spectat & attingit, hoc est, de Domino opinionem bonam, & subditorum quietem. Nostræ quidem Regionis pax audiit, ex eo tempore, ut & ejus, post Deum, fundator, VLADISLAUS, honorificentissimè. Inq; Rege eapropter in cœlum extollendo, illo tam pacato triumphatore, omnes ingenii & eloquentiæ vires, nec pauci, nec vulgares, sive Oratores, sive Poëtæ, penè attrivere. Sic nostra hæc Civitas, nummo in aureo, auriferam pacem nobis non invidentis, quid? quòd clementissimè conferentis, sub Herculis imagine, in unâ facie exhibitâ, Sospitatoris nostri præconium ejuscemodi, ad omnem posteritatem, transmittere voluit, quod versibus in alterâ facie exsculptis continetur, quos recito:

*Dum Moscum bello, Turcam terrore, Suecumq;*

*Ostenso ad pacis fœdera Marte trahis.*

*VLADISLAE, tibi debetur gloria triplex:*

*Alcides meritò dicere pacificus.*

Quamobrem bellando, ac pacis quidem causam, quæ optima & nî fallor, sola est belli bene gerendi via, quantum polluerit VLADISLAUS, satis ostendimus: in pacando, hoc est, unice id agendo, ut pacem reficeret conficeretq; etiam absq; armorum adminiculo ullo, quàm operosus fuerit, nec sine successu admirabiliter felici, & feliciter admirabili, multa paucis complexus, Auditorio illustrissimo & nobilissimo favente & applaudente, declaratum ibo. Cujus studii verè Regii, Regibusq; Christianis magis proprii, quàm est circa bella, vix bella, alterum,

rum, non Christianis, quoad ejus fieri potest, relinquendum; tantus in eo ardor sæpe observatus, ut hoc totus flagrare videretur, omnem vel armis, vel animis, contendendi amorem longè longèq; superante. In interregno, cùm dissidentium variarunt sententiæ, ut religione tenus, ita & libertate, advolavit, Pacificatoria personâ sumtâ, antequam Regiam haberet ipsi assignatam, VLADISLAUS: multarumq; & multò maximarum dissensionum efficax & faustus fuit arbiter. Regiâ verò Majestate decoratus, foris etiam, nec domi tantùm, exsequutus est multò majora. In digitis ea ponam, vix exponam. Moschis, non ambientibus occulto quodam, ut fieri assolet, artificio, aut aliorum ope subornatorum, sed cum fletu & querelâ de damnis suis infinitâ deprecantibus, pacem propitius indulgit, concessitq; maximi animi Heros, titulum Ducis, juratò sibi datum, Federoviczio, gentiq; universæ vitam & incolumitatem. Quo tempore illum animantium Regem moribus suis verè retulit, de quo vulgi ore illud jaçtatur:

*Parcere subjectis scit nobilis ira leonís:*  
 dum VLADISLAUS submissis illis foedifragis libens veniam dedit, quos egregiè debellaverat superbos. Quæ res tantam Turcæ, Amurathi, formidinem incussit, non irâ vanâ, sed viribus apparatissimis immane quantum instructo, ut Herculi clava exciderit. Qui enim Moschorum rebellantium ardebat esse socius; illico eorum, prensando quietem securitatemq; suam, factus sectator. Obstupescens videlicet ad summam Regis facilitatem in admittance perfidorum, reconciliationem quoq; suam quærere consultum duxit, tempestivumq;: misso ad VLADISLAUM, non bonitate minùs, quàm magnitudine admirabilem, Seino Agâ, qui juratorum violationem pactorum, adhibitâ frequentatissimâ, in Abasi Bassæ petulantiam & perversitatem, translatione criminis purgaret. Ac ut verba evidentis operis documento publico comprobatum iri persuaderet, pellicitus est Heri nomine, pænas daturum Abasium: modò animum à bello, & exercitum à confiniis Turcicis, placatus avocaret VLADISLAUS. Hic primò equidem se difficilem præbere, tam nefarrè irritatus,

solloz

coepit: sed Veziro Murtazi Bassâ, apud Koniecpolium, Polonicarum cohortium summum, sub Rege, Imperatorem, literis instante, propter resarciendam publicam tranquillitatem, & hoc, cum aliis Senatoribus, apud Regem armis invictum officioso sermone plurimum valentibus, pacem suadente, annuit bello maximus, pace tamen major, exiitq; sagum, & togam induit. Ac praesertim, quia Abâsii Bassæ, ( quantumcunq; ille Tyranno Turcico, populoq; , ob multos & praclaros cum æmulis Persis congressus, in amoribus esset, ) tanquam piacularis victimæ, incruentâ cæde, Turcis scilicet familiari strangulatione, perjurè inchoata expeditio fuisset lustrata. Itaq; & Turcis poenitentia emendatam mentem significantibus gratia facta à VLADISLAI O: suos antagonistas, non tam armis, quam armorum iustorum & fortunatorum metu, compescente. Sicq; duo bella gravissimi momenti, intra annum, qui erat quartus, ultra trigessimum hujus seculi, imò intra aliquot menses, absolvit VLADISLAI fortuna. Quam venerata est similiter, secuto anno, fortitudo Suecorum, sicuti, antiquis temporibus, ferè terribilis, ita his admiranda: quæ lento & violento tot annorum duello implicata colluctatur cum maximo adversario, cedere nescia, vinci nescia, corroborata indies quamplurimis discriminibus, ut præcurrat, occurrat, incurrat. Tetigimus verò jam supra vix expectatam armorum Suecicorum cum Polonicis compositionem, ac utrorumq; mutuò approbatam depositionem, paucis: at pluribus eâ de verba facere, temporis angustia, & rei dignitas, non nisi longâ serie explicanda, modò non permittit.

Manifestum est igitur abundè, quanta felicitas VLADISLAI fuerit in tranquillandis extra Regnum rebus: intra ipsius Reipublicæ viscera componendi motos fluctus qualis emicuerit, strictim adhuc commemorabimus. In combinandis suorum animis, à se invicem odio, vel simultate quacunq; , divulsis, quæ ejus exstiterint artes, privatim erit locus celebrandi: publicè laudabuntur hoc tempore, in Scholasticis quibusdam dissidiis, Polonicum Lyceum tangentibus perfecta, & Ecclesiasticis multò majoribus, ad Europam Christianam spectantibus, è medio tollentur.

tollendis, affecta molimina. In ipsâ facie trisecularis Universi-  
 tatis Cracoviensis, Collegium Societatis Patrum recens efferre  
 caput fuit ausum: illâ sic ægrè hoc ferente, ut mater est in fer-  
 mento, filia, cum materno vilipendio & detrimento, nupturi-  
 entis causâ: cui commotioni oppidò magnæ Pacificator ubili-  
 bet sedulus intervenit, hoc effecto, ut Academia falces antiquos  
 retineret, Schola novos deponeret; illa pateret, hæc clauderetur.  
 Quam Pacificationem, quantopere etiam conducibilis fuerit  
 Poloniæ, nihil esse totus mecum ultrò fatebitur orbis, ad Regi-  
 os, in Ecclesiis, quæ non de autoritate humanâ; sed divinâ ve-  
 ritate, conscientis inter se confertis dimicant, dirimendis cona-  
 tus: quos attonitum suspexit omne Christianum nomen. An-  
 nus fluebet quartus & quadragesimus, cum intima sui cordis de-  
 sideria publicaret Salomo Sarmaticus, quòd arderet, rebus Re-  
 gni undiq; in pace tutis externâ, internam pacem animorum  
 & unitatem inducere in cœtus Romanos, Augustanos, Refor-  
 matos, ut nominibus distinctos, ita fidei mysteriis confessis &  
 professis. Colloquium eò visum est optimum, sine præjudicio  
 rerum, vel personarum, ullo habendum: scilicet ut arte mores  
 emollirentur, quos Martè tantùm efferatos hætenus esse, publi-  
 ca testatur experientia. Dictus est locus, tempusq; tam inusita-  
 to operi: quæ vulgaris sunt notitiæ. Quid actum fuerit, vel agi  
 cœptum, partim ex tabulis publicis patet, partim in privatis  
 commentariis latet. Bonum fuisse animum Regis circa hoc  
 tentamen, apud animos nostros est extra dubium: quanquam  
 multorum aliorum oculi ad diversos scopos fuerint directi.  
 Noverint jam, ex hoc exemplo, Orbis Domini, & Ecclesiæ  
 Nutritii, quomodo hæc tanta scena omnino requirat Constan-  
 tinorum præsentiam, si bene cogitata cadere debent meliùs. Si-  
 ve autem aliquid sic factum fuerit, sive infectum habeatur ne-  
 gotium (ego quidem spectator qualiscunq; magna quædam mi-  
 hi videor animadvertisse) gratiæ immortales debentur V L A-  
 DISLAO, optimè animato, quòd, sub fide & præsidio verbo-  
 rum & literarum Regiarum, omnibus licuerit, salvis juribus  
 Politicis & Ecclesiasticis, adire arenam, signa explicare, domum

E referre;

referre; liceatq; pro aris & focis adhuc dum vigilanter excubare, armatis dextram gladio Spiritus, & pedes ocreis pacis. Quæ Ecclesiastica discordia (utinam aliquando ea se submittat Veritati!) in orbe Sarmatico hætenus nondum abolevit concordiam Politicam: DEO GRATIA, REGI, REGNOQUE GLORIA! Vicinæ verò annon inde prope jam impendet ultimum fatum, illa spirante, hæc expirante? Sicuti autem quorundam manus Regum hominibus malè habentibus item hodie dicuntur esse salutare; idq; maximè perhibetur de Ligeris, cum Gallicis, tum Anglicis: ita saluberrimam suam secundissimamq; illam admoveere voluit perlubenter Germaniæ conclamatae dextram VLADISLAUS, sed

Quo de quis nostrum audiri velit, quando Regem, ore Magni jam Cancellarii, Principisq; loquentem, audire minus placuit?

Perorabo: imò peroravi, explicatis iis, ex quibus magis magisq; innotuit nobis, innotescetq; seculis omnibus, (si quæ insuper Dei patientia ferè extrema homines agere concesserit) quis bellator, quis pacator, & ut compendio eloquar, quis regnator fuerit VLADISLAUS IV.? Quis? Incomparabilis ille. Ecquis autem his auditis (multa historicorum tubis sunt relicta) dubitet, cui mens non est læva, boni planè ominis rem fuisse, cum Rex toties dictus semperq; prosperrimè dicendus, ipso die, Primi & Feliciani, martyrum memoriæ in fastis dedicato, est ab Annâ, quæ gente fuit Austriaca Domina, conjugio Polonica, progenitus: indicato, quòd re verà hic futurus esset è primis felicissimisq; Regibus. Cui Româ discessuro; ubi aliquando hospes fuit VLADISLAUS, (nam ut belli; ita & peregrinationis, quæ prolixè pro merito esset enarranda, exercitiis, id est, rebus gerendis & videndis, perfectionem aliquam, florentibus annis, acquirere semper curæ habuit) in pignus primariæ fortunæ Regiæ, Episcopus Urbis, ossa nominatorum, Primi & Feliciani, donavit: quæ ille sic nuncupatis piarum Scholarum Patribus aliquando dedit, quasi certus, sine illis quoq; sibi adfore felicitatem, quam, Universi Dominus ei, ab ipso vitæ exordio,

dio, dicasset quasi propriam. Largietur verò eidem haud in-  
 vitus Orbis, ex Orbe profecto, nomen Primi & Feliciani perpe-  
 tuò retinendum. Et nos, quo sumus in ipsum pio affectu, con-  
 fidimus, quò animarum nostrarum summus Pastor assignarit  
 in superis recepto locum, inter Primum & Felicianum, & omnes  
 in Cœlo existentes Reges, suo lotos sanguine, utpote agni im-  
 maculati, quo solo depurgati ibi degunt, impuri excluduntur.  
 Sic mortuum VLADISLAVM prædicamus & celebramus,  
 multò felicior, quàm viventem, bello paceq; felicissimum,  
 Faxit Omnipotens Æternusq; , ut, sub altero Domino, inter  
 mortales diu porrò nobis esse detur beatis; sub Minorum  
 Domino, inter immortales, æternùm.

DIXI.



E 2

VIVEN-

GRATI-

VIVENTIS VLADISLAI IV.

ELOGIVM.

LVX NATALITIA DIXIT, IMO PRÆDIXIT,  
QUALIS FUTURUS ESSET, ET VIVUS, ET MORTUUS,  
VLADISLAUS IV.

HOC EST, BIS SECUNDUS,  
QVID? QVOD TERQVE QVATERQVE BEATVS.  
FVIT ILLA JVNII NONA,  
ANNI, A CHRISTI NATALI, M D XCV.  
DIES NVMERANDA MELLIORE LAPILLO,  
PRIMI ET FELICIANI, VTRIVSQVE MARTYRIS,  
ACERBÆ, SED SANCTÆ, RECORDATIONI SACRA DIES.  
SIC

VLADISLAUS,

POST SOROREM, ET FRATREM, DEFVNCTOS,  
QVASI PRIMOGENITVS, ET PRIMVS,  
EX PATRE, SIGISMVNDI, ET MATRE, ANNA:

ILLO REGE,  
SVECIAE NATO,  
POLONIAE ELECTO,  
MULTORUM ANNORUM, MERITORUMQUE PLURIMORUM;  
HAC DOMINA,

QVA PROSAPIAM AVSTRIACA,  
QVA CONJVGIVM POLONICA,  
PROGNATVS FELICITER.

PRIMVS DEINDE MULTIMODIS ET FELICIANVS.  
CZAR MOSCOVITARVM, E POLONIS, PRIMVS.  
VEREQVE FELICIANVS, E POLONIAE REGIBVS.  
SVECIAE REGIS TITVLVM  
RETINENS FELICITER,  
SVECIS NOLENTIBVS, VOLENTIBVS POLONI  
QUEM  
ET PATER ET PATRIA PATREM HABVIT.

DUM  
PATREM SIGISMVNDVM SEMEL,  
CONTRA MANVM PARRICIDALEM;  
POLONIAM PATRIAM SÆPIVS,  
ADVERSVS VIM HOSTILEM;  
REGIE ET EGREGIE EST TVTATVS.

HUJUS  
ILLIVSQVE EXTREMO DISCRIMINI INTERCEDENS,  
PLANEQVE VITAM VTRIQVE CONSERVANS;  
SICARIVM PATRIS, ET PATRIÆ ADVERSAIOS  
PROSTERNENS FELICITER.

GRATI-



175

GRATIAM SIBI PRINCEPS ACQUISIVIT;  
DOMI FORTITER,  
FORIS COMITER,  
VTROBIQUE SE GERENS FELICITER.  
VT EVM JUDICARIT DIGNISSIMUM ORBIS,  
SARMATICVS ET VNIVERSVS,  
PATRIS REGIS SVCCESOREM,  
PATRII REGNI ADMINISTRATOREM.  
SVCESSIT IGITVR, REGNAVITQVE,  
SI NON EX OMNI, CERTE MAXIMA, PARTE,  
GVBERNANS REMPUBLICAM FELICITER.  
EX OMNI BEATVS IN HAC VITA NEMO:  
NEMO HOMO: NEQVE DOMINATOR.  
MOSCHICVM TERMINAVIT BELLVM:  
BELLVM TVRCICVM EXTVLIT:  
DISTVLIT BELLVM SVECICVM:  
QVODQVE PERAGENS FELICITER.  
DIC NOBIS,

HORVM TEMPORVM, PRINCIPEM CHRISTIANVM VLLVM,  
BELLIS ET FELICITATI SVÆ SVPERVIXISSE,  
EGO NVMERABO ALIQVOT REGES,  
BELLIS ET INFELICITATI SVÆ IMMORTVOS.  
VLADISLAVM ERGO QVIS NEGET,  
E DOMINIS HVJVS ÆVI, PRIMVM ET FELICIANVM;  
INFELIX TAMEN IDEM: AIS, VEL MVSSAS:  
(VT QVÆDAM ALIA IN COGITATIONEM NON VENIANT)  
QVIA, EX DVPLICI CONNVBIO,  
CVM CÆCILIA RENATA, GERMANICA,  
CVM LVDOVIGA MARIA, GALLICA,  
NON RELIQVIT, POST SE, REGNO REGEM.  
DVM EX ILLA EDITVS, SIGISMVNDVS CASIMIRVS,  
REGIS, REGNIQVE SPES VNICA,  
SVO PRÆCIPITI FATO,  
PATRIA FATA ANTEVERTIT, ET VOTA EVERTIT.  
SCILICET,  
NON DEBUIT HUIC ORBI DARE SIMILEM;  
CUI SIMILEM HIC ORBIS NON DEDIT,  
UT EXCEDERET ILLE,  
INCOMPARABILIS BELLO, PACEQVE;  
REX SVECIÆ SEPTENDECENNIS,  
REX POLONIÆ SEDECENNIS;  
UNDIQUE AUDIENS FELICITER.

F

MORI-

MORIENTIS  
**VLADISLAV IV.**

**ΜΑΚΑΡΙΣΜΟΣ,**

SIVE

**BEATITAS.**



EX, pauperque, discito, scito,  
ex novissimo exemplo.

Regum sint manus longæ;

longiores sunt Regum Regis.

Hic immortalis unicus;

illi mortales, ad unum, omnes.

Nisi comparatum ita esset,

**VLADISLAVS IV. REX,**

mortuus non esset.

Manu DEI solâ victus.

Qui humanâ vinci manu,

non potuit,

toties inter hostium manus versans,

invictus, quid? quòd Victor:

non debuit;

dextræ Divinæ ille reservatus,

Vincendus tandem. Imò jam victus

Occu-

MORI-

Occubuit, anno ætatis LIII<sup>o</sup>.

Cum spe tamen suâ, & nostrâ,  
indubitæ resurrectionis:

ut potiatur olim Regno potiori,  
quàm quod ei cognatum,

Sueciæ unum;

quodq; ei destinatum,

Poloniæ alterum:

**I. N. R. I.**

in se credenti,

propter suamet merita,

id largiente,

vitâ cum æternâ.

Sic,

Christo, é mortalibus, addictos cunctos,

Reges quoque fore immortales,

discito, scito, Rex, pauperque.



V.

HOR

I

(TV)

DVQ

PAT

ccu-

Occubuit, anno ætatis LIII.  
Cum spe tamen sui, & nostræ  
indubitate resurrectionis:  
ut potisset olim Regno potiori,  
quàm quod ei cogitatum.

Succie unum:  
quod, ei destinatum,  
Polonia alterum:

**I.N.R.I.**

in se credenti,  
propter summe merita,  
id largiente,  
vita cum æterna.

Sic.

Christo, è mortalibus, addictos cunctos  
Reges quodque totos immortales  
dicitur, Iero, Rex, pariterque.



10

BIBLIOTEKA KORNICKA

3137

NICKA

A

No  
Vra  
ma  
slac  
et.  
G